

P. Conradi oratio de necessariis theologi polemici virtutibus

Autor(en): **Conradus, P.**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 5

PDF erstellt am: **24.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394595>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



P. CONRADI (*)

ORATIO

De necessariis Theologi polemici
Virtutibus.

INter reliquas ardui illius Muneris, quod pro-
vida Benignissimi Numinis cura, ac singu-
lari Nutritorum nostrorum Benevolentia mi-
hi demandatum solemniter hodie capeffo, (uti-
nam

(*) Qui hanc Clariss. Conradi Theologi Belgæ Oratio-
nem ἀθερ παθων & accurate evolverit, non mirabitur nos lo-
cum aliquem ei in hoc Museo nostro dedisse, sive enim ad
Styli elegantiam & gravitatem, sive ad dignitatem &
præstantiam rerum in ea propositarum respicias, digna
est, quæ ab interitu, cui facile ejusmodi orationes ob-
noxia sunt, vindicetur. Argumentum ipsum orationis,
quod in ea exponitur, tale est, quod non satis, feracî
hoc Disputationum & Contentionum Seculo cælestis Ve-
ritatis Cultoribus repræsentari potest. Accedit quod Cl.
ille Professor Celeberrimos Helvetiæ Theologos τὰς ἑνὴν
ἐν Ἀγίοις Werenselsium nempe & Turretinum dignis
extollat laudibus, eorum Scripta, Irenica præsertim,
commendet, immo ad finem Orationis manifeste fa-
teatur, tot lites, contentiones, & funesta inter Fra-

nam modo illi ferendo hi humeri non essent impares!) inter reliquas, inquam, demandati Theologo Muneris partes, cum in sana Veritatis cœlestis Doctrina sollicitè conservanda, strenueque adserenda, tum in oppositis Veritati erroribus solide confutandis, omnem ei operam esse collocandam, nemo, opinor, Vestrum est, Auditores honoratissimi, qui inficias iverit. Postulat hoc supremi Numinis Gloria, cujus promovendæ atque intemeratè conservandæ studium cum in Theologo singulari quadam ratione conspicuum esse oporteat, profecto male officio suo defungi censendus est, qui cœlestem Veritatem, cujus manifestatione ad suam unice gloriam nobis pandendam beare nos voluit Optimum Numen, contra quosvis errores, atque humani ingenii placita divinæ gloriæ & honori vel quicquam detrahentia, omni virium contentione vindicare non anitatur. Flagitat hoc porro cœlestis Veritatis pretium atque momentum: Quod si enim ea sit omnis Veritatis præstantia, ut illius sectandæ retinen-

tes proelia exortura nunquam fuisse, si controversiarum tractatores vacivas aures salutaribus consiliis, quæ illi suppeditarunt, præbere voluissent. Cum vero quorundam iudicio Theologi Belgæ soli, vel omnium optime sciant, in quo apex Theologiæ Orthodoxæ reformatæ consistat, in posterum nemo mirabitur si & nos, quod strenue hætenus fecimus, duorum illorum Celeb. Theologorum Scripta studiosæ Juventuti omni data occasione de meliore nota commendamus. Cæterum cum hisce quæ a Cl. Conradi, Werenfelsio & Turretino dicta sunt, conferendæ dissertat. Celeb. Fabricii Helmstad. Th. & Wittii Orationes, quibus merito jungas Cl. nostri Stæpferi egregia de hoc Argumento data monita quæ extant Theol. polem. Tom. I. J. Z.

tinendæque studio, natura duce, trahamur omnes, quotquot ratione & intellectu sumus præditi, quanto ergo pretio non æstumanda, quanto zelo & ardore contra quorumvis hostium fraudes atque molimina non vindicanda est Veritas omnium præstantissima, quæ reliquas omnes infinito & dignitatis, & utilitatis post se relinquit intervallo? Veritas, inquam, cœlestis, quæ omnes sapientiæ divinæ thesauros recludit, atque intellectum cœlesti quadam luce perfundens, Perfectionum ac Virtutum divinarum gloriam in facie Christi resplendentem nobis contemplandam sistit; quæ sola & unica Deum recte cognoscendi colendique rationem detegit; quæ sola humani generis miseræ remedium monstrat; quæ denique cœlo demissa cœlo nos adserit, & viam aperit, qua ad æternam felicitatem grassari licet. Sacratissimo huic deposito, quod Theologis & Ecclesiæ Doctoribus peculiari modo est concreditum, ea, quæ par est, fide custodiendo, atque adversus ingruentes hostes defendendo, qui non invigilet, ac præpostero quodam pacis studio, dicam potius, ignavia & supina quadam negligentia, perniciosis quibusque erroribus cœlestem Veritatem conspurcari secure patiatur, næ is Theologi nomine indignus est: Ea enim pax, quæ non nisi Veritatis dispendio constat, non pax, sed bellum est atque erroris confœderatio. Postremo hanc Veritatis adstruendæ, atque adversus periculosos errores vindicandæ necessitatem Theologo imponit cum omnium, tum maxime eorum, qui fidei ipsius sunt commissi, conditio. Etenim illud cum primis suæ curæ demandatum esse credere debet, ut, qui ab ipsius ore & institutione pen-

dent, quique suo tempore in vineam Domini emittendi atque ad animarum pasturam ablegandi sunt, in cœlesti illa ac Sanctis semel tradita Veritate, quæ Ecclesiæ *σύλος καὶ ἐδραίωμα* est, & sine cujus cognitione ac fide vera pietas & religio sibi non constat, solide confirmentur, atque adversus noxios quosvis errores muniantur, ne, in hoc præsertim errorum atque errantium numero, instar fluctuum ad quemvis falsæ doctrinæ ventum huc illuc agitati, atque exitialibus erroribus abrepti fidei naufragium & ipsi faciant, & in ejusdem calamitatis consortium trahant alios.

Hoc igitur cum certum sit A. A. atque omni dubio exemptum, illud in hac materia haud parvi momenti quæsitum est, quibus modis cœlestis Veritas sit defendenda noxiique errores sint confutandi, quæ Dotes & Virtutes requirantur in Theologo, ut officio suo hac in parte cum fructu defungatur, quæque leges in Controversiis fidei rite tractandis sint observandæ.

Non ignobile profecto, & nec Vobis, ut spero, ingratum, nec a Muneris, cui publice inaugurandus hanc Cathedram conscendi, ratione, temporumque, in quibus versamur, conditione alienum mihi visum est Argumentum, si, pro ingenii atque eloquii tenuitate, hac de re animi mei sensa brevi Oratione aperiam, ipso opere illa comprobare gestiens, modo sua gratia & luce me ducere ac docere, quod supplicibus precibus expetere non desinam, dignetur Clementissimum Numen.

Dicam scilicet A. A. divino fretus auxilio de
**NECESSARIIS THEOLOGI POLEMICI VIR-
 TUTIBUS.** Quod dum exsequor, non multis
 hanc

hanc animi mei trepidationem, atque inculti sermonis imperitiam in limine deprecabor. Erigit me incomparabilis vestra humanitas, & aures animosque faciles Vos mihi præbituros, si rudis ac incomptæ Orationis tædium compendiosa brevitate (*) me absterfurum serio pollicear, haud dubiam spem injicit.

Ut ergo sine ulteriore verborum circuitione ad rem ipsam accedam, ante omnia in Theologo Polemico ac sanioris doctrinæ Vindice, quem necessariis scientiæ atque eruditionis subsidiis, armorumque, quibus Veritatem tueri, & errores quoscunque profligare queat, apparatu instructum hic suppono, requiri censeo SINCERVM VERITATIS AMOREM. Veritatis, inquam, castæ ac simplicis, ab omni fuce omnibusque humani ingenii figmentis alienæ, Veritatis cœlestis ex limpidis sacrarum Literarum fontibus derivatæ. Enimvero Veritatis unice causa omnes de fide controversiæ sunt suscipiendæ; Veritatis ergo amore accensum esse oportet Theologum; Veritatem, missis præconceptis opinionibus, sepositoque partium studio ea, qua par est, sinceritate indagare; dogmata controversa, humanæ auctoritatis præjudicio procul abire jussu, ad rectæ rationis atque infallibilis Verbi divini normam expendere, Veritatemque, undecunque adfulserit, ambabus ulnis amplecti; Veritatem porro inventam eadem fide ac sinceritate disseminare, illam pro viribus confirmare, atque adversus periculosos errores omni ope, sed modis tamen legitimis &

A 3

ea,

(*) Exiguam solummodo hujus Orationis partem propter temporis mihi concessi angustiam publice recitare potui.

ea, qua fieri potest, argumentorum efficacia adferere debet, eo unice scopo, ut Veritatis celestis causa, quæ ipsius Dei causa est, triumphet, ut recte sentientes adversus pravas opiniones muniantur, ut errantes convincantur missisque erroribus Veritati manus dent, atque adeo Regnum Dei constabiliatur, ejusque Gloria promoveatur.

Hunc profecto Veritatis amorem in Theologo celebrant & admirantur, hunc inter primarias Theologi dotes virtutesque necessarias numerant omnes, quibus proba mens virtutisque studium est. Isto cum adfectu qui ad controversias tractandas accedunt, illi demum apta sunt propugnandæ Veritatis debellandique erroris instrumenta. Nec dubium est, quin, si ea semper mentis sinceritate hac officii sui parte defungi adniterentur Theologi, laboribus ipsorum larga benedictione adestet Deus.

Quod quemadmodum votis omnibus exoptandum, ita dolendum vel maxime est A. A. huic Sanctuario tam sæpe peregrinum ignem inferri, & in vicem amoris, quo erga Veritatem fideique illibatam puritatem accensum esse oportet Theologum, substitui vitiosum amoris proprii adfectum. Quantum huic Idolo in Disputationibus Theologicis ab omni retro ævo fuerit litatum, illi demum ignorare possunt, qui scripta Theologorum eristica ne quidem a limine salutarunt. Ista vel leviter inspicias, deprehendes equidem amorem, deprehendes mox zelum & ardorem sat magnum, sed zelum & ardorem humanum a pravo plerumque philautiæ adfectu suscitatum; amorem, inquam, non Veritatis, non causæ
 Dei,

Dei, sed caussæ propriæ constabiliendæ, amorem auctoritatis, gloriæ, famæ atque existimationis nostræ, amorem cogitationum, opinionum placitorumque nostrorum, amorem scientiæ atque eruditionis nostræ, & quæ sunt hujus late dominantis vitii propagines fere sine numero aliæ.

Cum primis vero deplorare heic liceat infustum illud Veritatis adeo inimicum *Partium Studium*, ac placitorum illius Sectæ, cui quisque se addixit, communium cæcum amorem, qui, quemadmodum studii Veritatis velo passim obtegatur, ita ejus locum supplere solet. Pertinacissimo hoc morbo laborant plerique omnes, qui Religionis Controversias tractant, ac rara oppido sunt eorum exempla, qui, seposito partium studio, ex sincero Veritatis amore disputent. Eo nimirum fit, ut absque justo examine, quod sacrae Literæ ubivis inculcant, quod rei momentum postulat, quod ipsa Veritas flagitat, illas opiniones, quæ in Ecclesia & secta, cui nomen dedimus, ab antiquo receptæ semperque defensæ fuerunt, sine ullo discrimine sacras sanctasque habeamus, omnia ejus placita ac cogitata nostra faciamus, ab iis vel tantillum recedere religioni ducamus, ac denique pro iis tanquam pro aris & focis maximo animorum æstu pugnemus, non Veritatis triumphum, sed nostram partiumque nostrarum victoriam quærentes.

Caussæ morbi variæ sunt. Ex plurimis autem aliis *primum* perversa illa humani ingenii indoles, qua ad opiniones sine prævio examine credendas præceps ruit. *Deinde* naturalis illa ignavia atque ingeniorum torpor, quo laboris impatientes in temere susceptis acquiescere malunt homines,

quam Veritatis scrutinio sedulam navare operam. Adde *præterea* pravam educationem, qua animus non ad veri indaginem, neque ad examinanda ea, quæ tanquam credenda inculcantur, sed ad ea, quæ a Patribus & Majoribus traduntur, atque in Secta, cui addicti sumus, communiter creduntur, cæco impetu amplectenda formari solet. Accedit *denique* humanæ auctoritatis præjudicium nimiaque eorum, quos sequimur Duces Doctoresve, veneratio, qua fit, ut in præjudicatas nostrarum partium opiniones proni feramur, non propter rationum, quibus nituntur, quasque sæpius ne quidem investigare cœpimus, efficaciam, neque propter rei ipsius evidentiam utpote nobis haud perspectam, sed propter solam Docentium, qui eruditionis ac perspicaciæ laudem apud nos consecuti sunt, quosque errasse haud facile præsumimus, auctoritatem.

Ceterum, si quid est A. A. quod sincero Veritatis amori est oppositum, quod cœlestis Veritatis causæ est contrarium, si quid est, quod animos de Veritate contendentium plane in transversum agit, est sane *partium studium*. Isti enim qui addicti sunt, non adeo, quid verum sit, quærunt, aut curant, sed ad opinionum vulgo receptarum regulam ac decempedam componunt omnia. In ea, quam tuentur, parte omnia esse vera, Orthodoxa omnia, quovis pignore contendunt; *nullus ibi est error*, (verba sunt Præstantissimi Theologi J. A. Turretini Orat. X. de *Affectibus a Vero abducentibus*) *nulla injustitia, nulla opinio præjudicata, nullum partium studium; recte omnia, atque ut decet, ibi peraguntur: Ab adversa vero parte, nil nisi errores, nil nisi præjudicia, nil nisi cæcum partium*

partium studium, atque in errore defendendo pertinacia.

Et hinc conjunctum ut plurimum videas hoc partium studium cum zelo quodam præpostero, quo ad eos omnes damnandos, atque *Orthodoxiæ*, qua nihil sanctius est, laude privandos temerario ausu ruimus, qui, licet Veritatis vi adacti, communium sententiarum torrenti resistunt, atque in rebus inter Christianos ab omni fere ævo controversis non exacte ad præscriptam a Patribus formulam atque inculcata a Majoribus dogmata sentire aut docere possunt. Hinc vulgatissimæ illæ criminationes, quibus, quæcunque novitatis solummodo speciem habent, naso adunco suspendimus, ac hæresin illis impingimus, qui fractis communium præjudiciorum repagulis, regiam Libertatis simul ac Veritatis viam & ipsi calcant, & aliis calcandam suadent. Huic partium studio debetur, quicquid turbarum ac tumultuum, quicquid de Religione diffidorum experta est Ecclesia; hinc hæreses & schismata, quibus misere discerpta jacet. Ex hoc fonte promanat malefana illa altercandi vitilitigandique prurigo, qua Veritas amitti atque ita obscurari solet, ut a contententium oculis fugiat; hinc lites & jurgia, hinc concertationes innumeræ de rebus sæpe levissimi momenti, de ipsis non raro terminis ac vocum apicibus maximis animorum motibus ul- tro citroque agitatae; hinc odia illa theologica atque indignissimæ cœlestibus animis iræ; hinc ignobile illud disputandi genus, quo, relicta Veritatis cura, præjudicia præjudiciis opponimus, ac rationum, quibus unice dirimendum, pondere posthabito, humanæ auctoritatis præsidio,

ac votorum suffragiorumque numero, splendore, antiquitate victoriam de adversariis reportare an- nitimur. Et quot mala sine numero alia ad ma- ximum Bonorum omnium luctum pepererit ho- dieque pariat triste hoc partium studium, quis Ve- strum est A. A. qui ignorat?

Ecquis ergo est, qui illud in rebus divinis non longissime proscribendum atque in tractandis de Religione controversiis non deponendum censeat? Nec enim aliud est partium studium, nisi huma- næ adhærere auctoritati, quod profecto commu- ni Protestantium, sola Dei Oracula pro infallibili credendorum norma venerantium, fidei plane con- trarium, atque a scopo Theologi non hominum, sed Dei causam defendentis alienissimum est. *De- posito autem partium studio humanæque auctoritatis præjudicio, sola apud nos Veritatis valeat auctoritas illiusque diviniore Scripturæ, in qua eadem expressa reperitur.* Hanc unice sectari, hanc venerari oportet Theologum Polemicum, si Deo se appro- bare, si conscientiæ satisfacere, si officio suo rite & cum fructu defungi velit; &, si ad hanc unice normam æqua semper iudicii lance expenderent omnia de Religione contendentes, maxima haud dubie controversiarum pars sponte caderet, sub- latisque diffidiis, beata ac piorum omnium votis exoptanda succederet Ecclesiæ quies.

Ad aliam venio A. A. eamque haud minus in Theologo Polemico necessariam Virtutem, *Can- dorem* scilicet in disputando, qui genuinus studii Veritatis foetus est ab eo nunquam separandus: Isto enim studio qui sincere tangitur, omnem quoque operam dabit, ut Veritatem nullo homi- num fuce obductam in se sistat atque diffeminet, sedulo-

seduloque cavebit, ne piis, quod dicunt, fraudibus Adversarios offendat, ipsamque Veritatem iis invisam reddat.

In tractandis igitur de fide Controversiis nostra primum sententia clare semper & aperte nullisque tecta pigmentis & involucris exponenda est: Hæc enim ad errorem palliandum quidem comparata, sed a Veritatis, quæ nuda conspici amat, expositione alienissima sunt; longeque hoc candore qui a nobis dissident ad veriores sententiam amplectendam reddemus proniores, quam si fucum & nescio quos colores quærentes fidem & sinceritatem in nobis desiderandi vel minimam iis ansam præbeamus. Non minore deinde sinceritate ac candore versari oportet in investiganda & proponenda dissentientium mente atque sententia. De genuina Adversariorum mente iudicium ferre ex Scriptis aliorum, qui illos sibi refutandos sumserunt, non semper tutum esse, experientia satis constat; quin potius ipsi fontes consulendi sunt, & si cum integra quadam Secta nobis res sit, ex publicis cujusque Cœtus instrumentis, si vero cum singularibus ac privatae sortis hominibus controversia intercedat, ex Scriptis eorum aut dictis juxta regulas doctrinæ hermeneuticæ absque ulla cavillatione & iniquo consequentiarum abusu mens illorum sincere eruenda ac candide proponenda est. Hoc ni feceris; erroresque Adversariis adfinxeris, quorum sunt immunes, profecto oleum & operam perdes, immo calumniæ & obtreptionis notam justamque suspicionem effugere non poteris. Utinam vero æquissima hæc regula semper in Ecclesia fuisset observata, hodieque religiose observaretur; quanto

quanto minor rixarum funestarumque eheu ! litium existeret numerus? quam facilis & expedita cum ad minuendum plurimarum quaestionum momentum, tum ad sarcinendam colendamque pacem foret via? Sed quis, nisi in rerum ecclesiasticarum annalibus plane hospes, ignorat, vulgatissimas ab omni ætate fuisse disputantium artes, sententiam Adversariorum malignius proponere, tantum ut absurdior videatur, faciliusque refelli queat? Quis nescit, antiquissimum esse vitium, (utinam & hodie ignotum esset) præsertim inter eos, qui sinistris contra Adversarios adfectibus aut præjudiciis a prima ætate haustis sunt imbuti, quælibet incaute atque improvide dicta, sæpe non recte intellecta ac contra auctoris mentem explicita, supra modum exaggerare, ex iis hæreses ac periculosos fingere errores, & consecraria necesse odiosa ab ipso auctore pernegata? Quis denique nescit, antiquissimum esse disputantium vitium, inprimis ubi incaluerunt, & de invidia potius conflanda, quam de Veritate defendenda sunt solliciti, magna quidem diligentia, sed non optima semper fide ex Adversariorum suorum Scriptis duriusculas quasdam locutiones excerpere atque in alienum sensum torquere, eum tantum in finem, ut illis odiose exagitandis adversam sibi partem invidiæ exponant? Omnes hasce artes similesque alias homine Christiano, nedum Theologo esse indignissimas, facile mihi dabunt, quicumque consideraverint, gravissimam ea ratione in re maximi momenti Adversariis fieri injuriam, non eo profecto nomine excusandam, quia Adversarii nostri sunt, aut pro Hæreticis habentur: Istud enim, quod memoravimus, candoris & æqui-

æquitatis officium omnes omnino homines in quacun- que aut secta aut gente constituti suo jure a nobis postulant, quia ipsa naturæ lege quemquam lædere vetitum est, neque ullo hac parte vera Religio præ falsa gaudet privilegio. Et quid tandem bonæ frugis ex hoc disputandi genere expectari potest? Nonne, si pias hasce, dicam potius, impias fraudes intellexerint, sententiamque suam adeo inique & invidiose proponi viderint illi, quos oppugnandos sumus, magis irritati in errore confirmabuntur, solidis nos argumentis ad illum confutandum destitutos esse non sine ratione sibi persuadentes? Nonne ergo ipsam Veritatem, siquidem a nostris stet partibus, in discrimen adducimus Causamque Dei suspectam reddimus, quasi talis foret, ut sine malis artibus superior esse non posset? Nonne Adversariis eadem ratione nobiscum agendi ac dolum dolo compensandi, ansam porrigimus? Nonne ergo hæc methodus novis identidem animorum exacerbationibus causam præbet, atque ad controversias in æternum potius fovendas, quam ad easdem imminuendas & componendas materiam confert? Sane, nisi disputationes nostras omni fructu destitutas velimus, candide & bona semper fide cum Adversariis agendum est, animoque ab omni livore omnibusque præjudiciis ac sinisteris suspicionibus vacuo sententia eorum examinanda, atque ea fide & sinceritate exponenda est, ut suam esse sententiam admittere debeant, si & ipsi candide agere velint.

Varias denique regulas idem hic Theologi Candor præscribit, ubi ad ipsum conflictum ac disceptationis actum perventum est, ut nimirum
(utor

(utor fere verbis eximii Basileensium Theologi
Sam. Werenfelsii, in *diss. de Controversiis Theologicis
rite tractandis*) „ statum, quod dicant, contro-
„ versiae, quæ inter dissidentes est, recte semper
„ & sincere constituamus, non dissimulantes dis-
„ sensum, ubi verus dissensus est, sed & candi-
„ de agnoscentes consensum, quousque cum
„ Adversariis convenit; ut Statu controversiæ
„ definito, quæstionis momentum non nimis ex-
„ tenuemus, ac si de fœno & stipula ageretur,
„ quando de ipso salutis fundamento agitur, sed
„ nec nimis exaggeremus, quasi gravissimum
„ aliquod religionis dogma in dubium vocare-
„ tur, quando de rebus controvertitur, de qui-
„ bus salva fidei unitate dissentire ac disputare
„ liberum est; ut nihil quidem refutatione dig-
„ num prætermittamus, nec tamen omnia Ad-
„ versarii dicta sine ratione exagitemus, quasi,
„ qui in uno errat, nulla in re recte sentire pos-
„ sit; sed ut, confutatis ejus erroribus, quæ
„ vere, apte, solide ab eo dicta sunt, ingenue
„ agnoscamus; ut nec expendi ab Adversariis
nostra dogmata ægre feramus, nec difficultatum,
quibus nostra premitur oppugnaturque sententia,
momentum, nec rationum, quibus adversa ni-
titur opinio, pondus aut dissimulemus, aut mi-
nuamus; ut tandem, si erroris convicti boni
quid moneamur, id, missa priore sententia, nullo
pudore nullaque pertinacia generose amplectamur:
Conceptis enim placitis mordicus adhære-
re, atque errores contra clarissimam Veritatis de-
monstrationem pertinaciter defendere, ne quid
amplius dicam, nec generosi, nec candidi est
Theologi. Errare humanum est; homines vero
sumus

sumus omnes, ac proinde neque nos, neque nostram, cui nomen dedimus, Ecclesiam quantumvis & antiquitate, & membrorum numero ac splendore venerabilem, nec ulla denique hominum Scripta ab omni erroris periculo immunita esse recordari debemus; quin potius omnem nostram fidem fallere & falli nesciis Dei Oraculis ita alligandam, ut, solutis adfectuum præjudiciorumque vinculis, liberrimum semper Veritati a quocunque etiam ex iis rite demonstratæ aditum præbeamus.

Candori in disputando proximum comitem jungo *Justitiam & AEquitatem*, quæ armis legitimis, id est, solo rationum atque argumentorum pondere cœlestem Veritatem propugnare, noxiosque errores debellare præcipit. Nec enim alio armorum genere ad sui præsidium indiget cœlestis Veritas, sua luce radiare amans; neque alia remedia inveteratis erroribus animo evellendis convenire, facile agnoscet ille, qui ipsum errorem non nisi veri specie indutum, ac probabili saltem ratione suffultum mentis adsensum extorquere, utque adeo non nisi potentioribus argumentis invictisque demonstrationibus eundem expugnari, proprio sensu novit; nec denique alia media exigit scopus, quem in tractandis controversiis præfixum sibi habere oportet Theologum, quique in sacro hoc, quod gerimus, bello non nostra, aut partium nostrarum victoria, hostiumque, quibuscum dimicamus, strages est, sed ipsius Veritatis triumphus, ac periculose errantium salus atque emendatio.

Illud ergo negotii sibi datum esse credere debet Theologus polemicus, ut suam primum de
con-

controversis dogmatibus sententiam, quam non humanæ auctoritatis præjudicio, aut cæco partium studio inductus, sed clarissima post legitimum examen rationum luce persuasus tanquam veriolem amplexus est, pro viribus illustret, solidisque argumentis ex castis Verbi divini fontibus justæque ratiocinationis principiis derivatis, ac certam sua efficacia animi Veritatem amantis convictionem secum trahentibus eandem demonstrat, atque a motis difficultatibus vindicet. Ut eadem deinde rationum efficacia veritati oppositos errores, errores, inquam, reales, qui non in inanibus consistunt logomachiis, ac ad causam, de qua disceptatur, vel parum, vel nihil faciunt, sed qui ipsam fidei arcem, vel cominus vel a longinquo impugnant, graviter quidem & mascule, sed ea tamen, qua par est, moderatione confutet atque refellat. Ut denique non ipsos solum errores, sed & errorum fundamenta, quibus tanquam firmissimis causæ suæ præsiidiis nituntur adversarii, dextre ac solide subvertat; simulque varia præjudicia, quibus passim præpediti pro veritate errorem amplectuntur, quæque, ubi altiores in animo radices egerunt, validissimorum argumentorum vim retundere solent, iis eripere laboret, quo tandem, remoto illorum velo, veritatem videant, missoque errore victas ei manus dare cogantur. Hæc justa sunt atque legitima spiritualis hujus certaminis arma; hæc, uti Spiritui evangelico apprime conveniunt, atque ab ipso supremo nostro Doctore sanctisque ejus Apostolis ad cœlestis Veritatis propagationem sunt adhibita, ita sola apta sunt ad laudabilem disputationis scopum adsequendum. Hisce remediis si

erran-

errantes ad saniozem mentem redigere nequeamus, nobis nihil aliud relictum est, quam ut illos Deo committamus, ac juxta Pauli monitum toleremus eos, qui contrario animo sunt adfecti, experturi, num aliquando Deus iis sit daturus respicientiam ad agnitionem Veritatis; saltem longe satius est, ut gravissimos quoque toleremus errores, quam ad illos extirpandos remediis utamur iniquis, turpibus atque ab ipso Deo vetitis, cum nunquam *mala sint facienda, ut bona inde eveniant.*

Verum enim vero aliud a longo jam tempore armorum genus introduxit usus, aut potius vitiosus hominum adfectus, quod, justitiæ æquitateque legibus valere jussis, molestiæ adversariis creandæ unice inservit, atque ea propter præcipua quædam causa est, quod ex disputationibus Theologicis passim tam parum reportetur fructus. Non loquor jam de Sophistarum argutiis ac Rhetorum blandimentis ad fallendum potius, quam ad Veritatem adserendam comparatis. Non loquor de argumentis illis generalibus, quæ præjudicia vocari solent, quando non solidis pro Veritate pugnamus rationibus, sed, misso velut in compendium certamine, sententiæ nostræ vel antiquitatem, vel consentientium nobis numerum, eruditionem, dignitatem & auctoritatem adversariis opposuisse contenti sumus; cujusmodi argumentandi ratio, a Romanensibus potissimum exulta, sed ab aliis quoque non raro adhibita, incautis quidem fucum facere solet, prudentioribus vero, qui nihil, nisi quod evidenti rationum luce fulgeat in Veritatum catalogum inferri patiuntur, quique non auctoritatibus, sed

demonstrationibus dimicandum censent, merito suspecta habetur. Sed illorum indigito haud sane laudandam disputandi methodum, qui zelo nimis calido agitati, ac odio adversariorum magis, quam Veritatis amore flagrantes, id potissimum agere videntur, ut iniquis criminationibus, argumentisque, ut vocant, ab invidia ductis quosvis a se dissentientes infament atque exosos reddant: dum vel levissimum sæpe dissensum supra omnem modum exaggerant, ut capitalis videatur error, quo ipsum fidei ac salutis fundamentum convellitur; & hinc quævis errantium imprudenter dicta, imo sæpius, si recte intelligantur, plausu digna, in pessimam partem rapiunt, atque in sensum a mente auctoris alienissimum sinistra interpretatione detorquent; eo præcipue scopo, ut imperitorum hominum, qui ex præjudicata sua opinione Religionis Veritatem judicare, ac, re non expensa, ad condemnandos dissentientes præcipientes ruere solent, odio atque invidiæ exponantur: vel, quos oppugnandos sibi sumunt, mox sive veterum, sive recentiorum hæreticorum, quos vulgo invisos, atque atro notatos calculo norunt, nominibus insigniunt, eorumque opiniones ob levissimam quandam convenientiam cum dogmatibus teterrimorum hominum, qui impietatis atque heterodoxiæ notam dudum sibi iniustam habent, & a quibus integro alias dissentiunt Systemate, mira temeritate conferunt; quo ipso, ad commovendos hominum animos, nihil aptius esse, experientia constat: vel iniquis suspicionibus plebeiorum auribus ambitiose inculcatis, errantium famam commaculant, illos absque justa causa aut pessimæ fraudis,

dis, ac si data opera Veritati insidias struerent, ipsaque Religionis fundamenta subvertere adniterentur, aut saltem malæ fidei insimulando, & vera animi sensa subdole illos tegere, aliud ore proferre, aliud pectore clausum gerere, nescio quid monstri alere, & anguem in herba latere, clamitando; jam victoriam retulisse rati, si vulgus credulum, & vel levissimis suspicionibus aures præbere solitum irritaverint, atque in homines, sæpe innocentissimos, incenderint: vel denique (pudet enim plura referre) ex eorum, quos confutare seu potius exosos reddere conantur, sententia absurda atque invidiosa nectunt confectaria, ut saltem impias illos fovere hypotheses, atque in hæreticorum, publico judicio damnatorum, castris militare, verosimili ratione evincant; confectaria, inquam, non eum in finem legitime ducta, ut sententiam, ex qua manifeste fluunt, absurdam & erroneam esse demonstretur, quod recte ac citra ullius injuriam fieri, nemo est qui negat; sed aut falsa atque illegitima, aut saltem, si vel legitime ducta videantur, ab iis, qui oppugnantur, non agnoscenda, & tamen, licet sincere magnoque zelo ea se repudiare atque abominari fateantur, odiose iis impacta, quasi propria eorum essent dogmata ac principia; quod per æquitatis leges non licere omnes Boni judicant. Oritur ut plurimum perversa hæc methodus vel ex ingenii ac judicii defectibus, quibus fit, ut, quos rationum momentis convincere nequeunt, illegitimis his armis oppugnent, vel ex naturali quadam morositate ac temperamento fervidiore, vel ex prava educatione, præpostera Magistrorum institutione,

vitiosis consuetudinibus in scholis contractis, ibique haustis præjudiciis, ac sinistris contra quosvis dissentientes affectibus, & quæ sunt alia de hoc genere malorum plura. Exemplis autem, in veteri ac recentiori historia satis pro dolor! obviis, abstineo, ne cavillandi ansam cui præbeam.

Frequens profecto hæc ab omni ætate adversarium adgrediendi fuit via, atque ad singularem Orthodoxiæ laudem apud multos sibi parandam ac deinceps tuendam forte tutior, quam via æquitatis & justitiæ, cujus leges, ubi splendido isto Orthodoxi nomine semel inclaruerunt, impune violant; prorsus quasi in hanc partem temerariis suspicionibus iniquisque criminationibus peccato non esset locus, ac superbus ille, quem præferre videntur, zeli divini prætextus omnem, quæ hac in re committitur, injustitiam excusaret, ipsasque injurias proximo illatas sanctas redderet; dum interea justitia & æquitas silere cogatur, ne, qui ejus regulas erga quosvis, etiam gravissime errantes, sancte observandas censent, & ipsi in heterodoxiæ suspicionem incidant, ac si paria cum adversariis facerent, aut saltem nimium iis blandirentur.

Scilicet præposteris illi Zelotæ, sublato rerum discrimine, candida de nigris, & de cendentibus atra facere solent, &, ut magnus inter Nostros Theologus loquitur, *hæreseos ob levem quemque dissensum postulare alios, Orthodoxiæ isti amorem interpretantur; quæsitis calumniis insectari, gravem & Christianam increpationem; dolis in omnium odium atque invidiam adducere, piam sive fraudem, sive artem; privare dignitate, fortunis, fama atque existimatione,*
disci-

disciplinam Ecclesiasticam ; furere denique , zelum ; charitatem , æquitatem , humanitatem tantum non pro inanibus habere nominibus videntur , quibus nunquam promptius utuntur , quam ad faciendam aliis invidiam.

At vero, licet apud imperitiores, qui communibus opinionibus tanquam ad saxum adhærere, ac pro eo, quo in omnes a vulgari tramite vel tantillum recedentes feruntur, odio, per alios ipsis haud moderatiores indito, in dogmata, quæ non intelligunt, maximo æstu debacchari solent, causam suam strenue egisse videantur; licet quoque apud alios inpotentis animi homines, si non facti præmium, saltem impunitatis asylum facile obtineant; cordatiores tamen, qui cum Veritatis studio Pietatem indivulso nexu copulatam cupiunt, quique justitiam & æquitatem inter Virtutes quovis homine, multo magis Christiano, & quidem Theologo dignas numerant, omni tempore hanc methodum damnarunt ac toto animo abominati sunt. Et merito sane: Quis enim, nisi præjudiciorum nebulis plane excæcatus, non videt, gravissimam rursus ista agendi ratione innocentibus fieri injuriam, atque adeo crimen committi nullo colore illinendum? Quis non videt, quantopere hæc methodus recedat ab æquissima illa Euangelii, ipsiusque naturæ lege, quæ, *quod nobis fieri, vel non fieri volumus, aliis faciendum, vel non faciendum*, dictat, ac procul odii atque invidiæ causis, *suum cuique tribuere* præcipit? Quam longe abeat ab ingenio & instituto Christi, summi nostri Magistri, qui, licet invidiosis sæpe nominibus ab Adversariis notatus, falsisque criminationibus petitus, ipse tamen par pari nunquam retulit, ad servandas hominum ani-

mas, non vero perdendas venisse se, testatus, quique, in adserenda cœlesti Veritate expugnandisque periculosis erroribus, non clamoribus, non convitiis & calumniis, aliisque carnalibus atque a pravo adfectu suscitatis dimicavit armis, sed suavissimis convictionibus invictisque demonstrationibus, caritatis & æquitatis Præco ac Vindex sanctissimus? Quantopere tandem deflectat a methodo Apostolorum, qui vestigia Domini sui prementes, atque a Spiritu Veritatis docti ac ducti, *decertandum* quidem esse *pro sanctis semel tradita fide*, ac *contradicentes atque oblucentes Veritati increpandos, convincendos, redarguendos*, & exemplo suo, & præceptis docuerunt; sed rationibus, & non rumoribus; sed *cum charitate*, quæ, si Paulo credimus, *benigna est, non invidet, non imputat malum, non gaudet injustitia; cum æquitate & mansuetudine sapienti?* Hac methodo, his armis gravissimos errores efficaciter oppugnarunt, ac felicissime expugnarunt. Hæc arma nobis quoque in manus tradiderunt; quibus si strenue utamur, sua benedictione laboribus nostris non deerit Deus. Qui vero iis non satis fedit, ac propterea invidiosus illis, quæ memoravimus, argumentis Veritatem defendere, erroresque hominum animis eximere laborat; næ is aërem verberat, errantes in errore magis confirmat, imo remedia adhibet ipso morbo periculosiora; Veritati denique injurius est, ejusque vim nunquam apud animum sensit.

Accedo ad quartam in Theologo Polemico requisitam virtutem, cum æquitate & justitia arctissime connexam; nempe *Caritatem & Mansuetudinem*, eximium illud hominis vere Christiani decus

decus ac Discipuli Christi characterem infallibilem, necessarium illud in cœlestis Veritatis Candidato ornamentum; quo qui destitutus est, licet *vel linguis hominum & Angelorum loquatur, licet prophetiam habeat, & omnia noverit mysteria, licet & cognitionem & fidem omnem habeat*, ex mente Apostoli, nullius est pretii ac dignitatis.

Hæc nimirum Virtus, missa omni acerbitate, placide & absque iræ ac adfectuum æstu disputare, Veritatem non minaciter aliis obtrudere, sed leniter persuadere, atque in sacro cum dissentientibus conflictu nil nisi errantium convictionem, emendationem ac salutem intendere jubet. Huc spectat Christi præceptum discipulis suis datum: *Discite a me, quia mansuetus sum & humilis corde.* Huc spectant passim Pauli monita, *Episcopum & servum Domini non debere pugnacem esse, non iracundum, sed moderatum, mansuetum erga omnes, a pugnis alienum, aptum ad docendum, tolerantem malos, in lenitate erudiantem adversarios.* Hæc equidem non eo a me dicuntur, ac si caritatis & mansuetudinis prætextu periculosos quosvis errores in Ecclesia tolerandos censeam, nedum in iis consensum ac conpirationem approbem; probe gnarus, præpostera hac caritate Veritatem opprobrio adfici, errantes magis in errore confirmari, piis vero scandalum creari, atque adeo Regnum Christi potius destrui, quam ædificari. E contra ardentissimo studio, Veritatem salutarem defendendi, inque ea recte sentientes confirmandi, errantes autem quovis legitimo modo ad ejus agnitionem perducendi, Theologo nihil dignius existimo. Hac parte si *usque & usque instet, tempestive, in-tempestive, arguendo, objurgando, hortando, cum*

omni longanimitate & doctrina, laudo ejus zelum impense. Hoc studium, hunc zelum, non sane languidum & remissum, sed fervidum ac calidum, dummodo cum prudentia semper & scientia sit conjunctus, flagitat cum Gloria Dei, tum salus hominum. Et Scriptura, dum ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ *Veritatem in caritate sectari* præcipit, hæc duo nunquam sejungenda, Regnumque Christi non minus Veritatis, quam Caritatis Regnum esse, in quo finibus non exiguis verum a falso, bonum a malo discerni debeat, evidenter innuit. Permittit, imo postulat caritas, ut *alii aliorum dicta ac facta observent ad excitationem charitatis & bonorum operum*, ne in errores & vitia præcipites ruant. Jubet pro *Veritate facere omnia, contra eam nihil*; adeo ut horribile anathematis carmen iis intonet Paulus, qui ad aliud Evangelium, quam quod Apostoli annuntiarunt, traducunt auditores suos.

Verum enimvero est modus in Rebus, sunt certi denique fines. Defendi Veritas, refelli errores debent, sed ἐν ἀγάπῃ καὶ ἐπιεικείᾳ καὶ πραύτητι σοφίας. Quemadmodum nulla est caritatis praxis, quæ Veritatis dispendio constat, sic vicissim Veritatis studium a Caritate sejungi nunquam debet. Caritas autem, sepositis carnalibus adfectibus, præter Gloriam Dei, æternam proximi salutem unice & sincere spectat; ac proinde errantem odisse nefas credit, sed, evitatis temerariis condemnationibus, innoxie errantes fraterno amore complectitur, salutaris Veritatis studium placide iis instillare, ac, non obstantibus opinionum divortiis, animorum unitatem conservare adnititur; periculose autem errantium ex intimis cordis visceribus miseretur, Deum pro eorum

con.

conversione ardentissime invocare non desinit, atque in iis ad sanio-rem mentem revocandis adsi- due laborat, refellendo per argumenta errores, ac veritatem ex propriis & genuinis principiis ad eorum conscientiam demonstrando. Hæcque omnia exsequitur non vi & minis, non concita- toribus iræ atque odii adfectibus, sed animo moderato, mansueto, amico & pacifico; non convitiis & calumniis, non dicteriis & scommati- bus, non sævitia & persecutionibus, sed moni- tis, sed rationibus & persuasionibus.

Hoc pacto si cum adversariis agat Theologus Polemicus, officio suo recte defungitur, erranti- tium saluti atque emendationi consulit, ac Veri- tatem de erroribus facilius certiusque triumphatu- ram, haud vana spe præsumere potest. Neque enim quicquam apud plerosque, qui Veritatem amant, majorem vim & efficaciam habet, leni- tate & mansuetudine, solidis rationibus suffulta. Dum e contrario, qui, missa caritate, iræ at- que odio adversariorum indulgent, qui acerbo nimis zelo ducti maximo adfectu ac feroci stylo in dissentientes invehuntur, atque, ubi rationes cum rationibus, res cum re, ut Veritas tandem triumphet, conferenda erant, convitiis & male- dictis errantes onustos dimittere solent, Veritatis causæ plus noceant, quam profint, atque ab ea recipienda magis magisque arceant omnes, qui ab ea sunt alieni. Adversariis Veritatem persua- dere, atque inveteratos errores animis eorum eximere, res est per se satis difficilis, propter præjudicia, quæ Veritatem ipsis tegunt, propter inolitarum opinionum amorem, aliasque causas :

At vero , qui acerbitate sua ac violenta ejusmodi persuadendi ratione difficultatem istam se superaturos sperant , falluntur mirifice ; quin potius vehementer illam adaugent , atque erroris morbum tantum non insanabilem reddunt . Dum enim ad convitia & maledicta confugiunt , atque ira concitati nil nisi anathematismos ac temerarias condemnationes infesto ore spirant , causæ suæ illos diffidere , & rationum argumentorumque inopia laborare , non absque veri specie credunt adversarii , atque adeo in errore magis confirmantur , Veritatemque tanto majore odio prosequuntur . Fieri præterea , teste experientia , vix aliter potest , quin acerbitate ista irritati , convitia convitiis pensent , imo acerbioribus convitiis illos , a quibus se læsos arbitrantur , proscindant ; atque ita contentionibus , jurgiis ac infauſtis animorum exacerbationibus nullo tempore terminandis ad maximum piorum scandalum occasio præbeatur . Felicius profecto cuncta procedent , si , nil nisi suam emendationem ac felicitatem , tanquam ultimum disputationis finem , a nobis intendi , intelligant errantes , si , amoris potius , quam convitiandi certamen nos cum iis iniisse , deprehendant , si , idoneis argumentis , & ea , qua decet , moderatione ac mansuetudine causam nostram a nobis defendi , suosque errores & impugnari , & refelli , animadvertant : Ea quippe est Veritatis vis , ut , dummodo perspicue doceatur , & solide ac dextre probetur , non possit non tandem plerorumque ad sensum impetrare ; & ea humani intellectus est indoles , ut , quemadmodum in rebus reliquis , ita quoque in negotio Religionis per vim nunquam cogi queat , ad ea tanquam

vera

vera credenda, de quibus per argumenta convictus non est, & quæ falsa esse arbitratur. Recte Lactantius: *Sola Religio est, in qua libertas domicilium collocaverit, utpote res præter cæteras voluntaria.*

Quid? quod fervidi illi ac tumultuantium adfectuum æstro perciti disputatores vero indagando, & monstrando omnium sint ineptissimi. Veritatis certe scrutinium mentem postulat serenam ac placidam; qui vero adfectuum vinculis constricti sunt, libero gressu ad Veritatis arcem, rejectis errorum ambagibus, contendere nequeunt: Adfectus enim intellectui offundere tenebras ejusque aciem hebetare, ac proinde iis præpediri homines, ne Veritatem videant, visamque ament atque amplexentur, notissima res est. Qui præterea sinistris erga adversarios adfectibus fræna relaxant, eo ipso sese ineptos reddunt, ad Dei Veritatisque causam recte & debita cum dexteritate agendam. Nec enim quicquam fere recte ac moderate agunt, aut dicunt, nec, quid ipsi, quid adversarii dicant, probe intelligunt; quin potius in isto animorum æstu ac disputationis fervore multa temere atque inconsiderate effutiunt, causæ, quam agunt, magis noxia, quam profutura; imo in præcipitia haud raro ipsi ruunt, dum aliis viam, ex errorum abyssu eluctandi, monstrare adnituntur. Docuit enim experientia sæpissime, Viros, alias maximos omnique subsidiorum genere ad Veritatem defendendam instructissimos, adfectibus præpeditos, atque hinc immoderato nimis contendendi studio abreptos in contrarios iis, quos oppugnarunt, errores fuisse prolapsos.

Et

Et quid causæ, quæso, est, cur tantopere irascamur adversariis, cur tanto cum adfectu debacchemur in errantes? Novi equidem colores & prætextus, novi, in quibus immites illi zelotæ causæ suæ quærant præsidia. Istam nimirum acrimoniam suam ac vitiosum animi æstum laudabilem divinæ Gloriæ, cujus causam in disputationibus cum adversariis se tueri dicunt, Zelum esse, prætendunt; absque illo zelo Veritatem defendi, ac errores rite confutari non posse; gravissimos ac perniciosos, quos adgrediuntur errores severiorem increpationem necessario exigere, pertinaciam vero, qua errores suos propugnant adversarii, illam reddere justissimam. Speciosus, fateor, prætextus. Num vero isto prætextu iis, qui emunctioris nasi sunt, methodum suam sint probaturi, de eo est, quod vehementer dubitem. Ardentissimum divinæ Gloriæ ac cœlestis Veritatis zelum laudant omnes Boni. At videant fervidi hi disputatores, quo zelo ducantur. Bonus certe ac laudabilis zelus non est amarus; quippe quem damnat Apostolus Jacobus his verbis: *Quod si zelum amarum habetis, & irritationem in corde vestro, ne gloriemini, & ne mendaces estote adversus Veritatem. Non enim est ista sapientia (iste zelus) superne descendens, sed sapientia terrena, animalis & diabolica. Ubi enim zelus est & rixa, ibi inquieta vita, & omne opus pravum. Dum e contrario quæ superne descendit sapientia, cujus alumnum se profitetur, & cujus zelum præferre debet Theologus, primum quidem sit casta, dein pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione & minime simulata.* Qui laudabili cœlestis Veritatis zelo flagrat,

grat, cujusvis quidem erroris infensissimus est hostis, hominum vero omnium, licet errantium, amicus: Horum enim misereri, hos amore prosequi, ipsa præcipit ac commendat Veritas. Atque adeo procul omni acerbitate placide cum dissentientibus in arenam descendit, sola Veritate fretus; ac dum errorem insectatur, summa cura errantibus parcit, omniaque eorum dicta & facta, quoad ejus fieri potest, benigne interpretatur, nec quicquam iis facere vult, quod sibi ipsi fieri, si eorum loco esset, non cuperet. At vero, qui, abjecta Veritatis cura, convitiis & dicteriis, diris atque anathematibus armati procedunt, ac errantium multo magis, quam erroris inimici sunt, huncque non oppugnant, nisi ut sibi adversantium famam commaculent, summosque pariter & imos adversus eos concitent, *zelum* produnt *amarum*, quem *terrenum*, *animalem* & *diabolicum* vocat Jacobus; quippe in quo longe magis effectus odii, iræ atque invidiæ cernuntur, quam charitatis; non ergo *zelum* Veritatis, quæ placida & tranquilla est, ac humanorum adfectuum mixturam respuit. Eundem amorem proximi, id est non tantum fratrum recte sentientium, sed & errantium, indivulsum comitem habet amor Dei ejusque Gloriæ zelus: *si quis dixerit*, inquit Apostolus Johannes, *diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, quomodo Deum, quem non videt, potest diligere?* Dei ergo *zelum* habet, non qui malis artibus acerbisque invectionibus adversarii ruinam ac perniciem meditatur, sed qui in confutandis evellendisque erroribus errantium emendationi ac saluti unice incumbit, eosque cum

• Deo

Deo ac Veritate, quantum quidem in ipso est, reconciliare adnititur. Immerito itaque divinæ Gloriæ zelo præposterum suum fervorem prætexunt, qui acerbius in adversarios invehî, ac diris & convitiis eos obruere solent: justissimam potius suspicandi ansam præbent, philautiam, superbiam aliosve pravos adfectus sub ista larva occultari.

Falluntur præterea quam maxime, qui absque acerbitate ac concitatoribus adfectibus Veritatem defendi & errores rite confutari non posse sibi persuadent. Veritas sane ad sui defensionem requirit, ut illam solam suisque ipsius viribus & argumentis subnixam, non vero nostris adfectibus, quibus obscuratur ac suspecta fit, mixtam placide & moderate proponamus, atque ista ratione amabiliorem eam reddamus illis, qui ab ea alieni sunt. Et quare, quæso, non placide itidem ac moderate Veritati oppositi errores confutari possent? An ergo errores minus confutavit eosque animis hominum evellere minus laboravit Christus Dominus in disceptationibus, quæ ei erant cum Judæis? Et tamen in neminem nominatim acerbius invectus est mansuetus ille Doctor, nec, licet ipse convitiis ab adversariis suis impeteretur, convitia illis reddidit, sed, quos rationum momentis convincere non poterat, divinæ Clementiæ precibus commendavit; in quo instituto Magistri sui exemplum sanctissime secuti sunt Apostoli. Et quamvis genera malorum hominum & errantium graviter nonnunquam notaverint atque acrius perstrinxerint Christus & Apostoli, qui tamen cum divino isto sanctissimorum virorum zelo pravos suos adfectus comparare sustinent,

finent, atque illos in iis, quæ ex instinctu ac jussu divino fecerunt, imitari volunt, temerarios prorsus atque ineptos sese præstant. Imitentur potius Christum & Apostolos in iis, in quibus ipsi voluerunt, ut iis similes simus, id est exerceant charitatem, mansuetudinem & misericordiam erga omnes, qui misericordia indigent.

Sed, inquit, gravissime sæpius ac periculossime errant adversarii, quibuscum contendunt, atque ea propter acerbiores increpationes merentur. Fateor, quo gravius ac periculosius errant adversarii, eo majore cura atque industria eorum errores esse confutandos, ac recte sentientes contra eos muniendos; at ipsi errantes, ut opinor, propterea non immitius tractandi, aut ira digni sunt, sed potius majore commiseratione, eoque magis cavendum, ne acerbitate nostra irritati in periculosis suis erroribus confirmantur. Quis enim, qui amore proximi sincere tangitur, tangi autem debet, quisquis serio vult esse Christianus, non impense dolet, quoties fratrem suum pravis & perniciosis erroribus inbutum cernit, ac propter illos errores in æternæ salutis periculo versantem? In isto autem dolore & commiseratione non acerbè debacchatur in fratrem, sed non potest, quin ardentissimis precibus divinam gratiam pro ejus conversione imploret, omnique ope periculosos errores animo ejus eximere studeat. Hoc hominis Christiani officium Christus Dominus partim præceptis inculcavit, dum pro omnibus, ipsis etiam inimicis nostris Deum precari, omniumque sine discrimine, qui misericordia nostra indigent, misereri ubique nos jussit; Misericordia autem nostra omnium maxi-

me illi indigent, qui exitialibus erroribus abrepti in manifestam perniciem ruunt: partim etiam exemplo suo comprobavit. Gravissime sine dubio ac periculosissime errabant Judæi, doctrinæ, quam prædicabat Christus, non obstantibus invictissimis demonstrationibus ac tot stupendis miraculis, hostes infensissimi & calumniatores nequissimi. Quid autem benignissimus Servator? an ne convitiis ac maledictis eos adgressus est? Minime gentium. Contra summa lenitate ac mansuetudine potentissimarum rationum pondere suffulta eos cum Veritate ac Virtute, a quibus cæco adfectu diffidebant, in concordiam redigere laboravit; ac tandem, dum vel sic in erroribus persisterent, divinam misericordiam pro iis invocavit.

Sed quid, tandem inquierent, faciendum, si in errore defendendo pertinacia accesserit, si evidentissimis nostris rationibus non convincantur adversarii, & victas Veritati manus dare recusent, sed contra conscientiam errores suos propugnare pergant? an isto in casu, ubi remediis caritati & spiritui Evangelico congruentibus ad sanio-rem mentem illos revocare non possumus, necessitas non suadet, ut duriora adhibeamus remedia, quæ alias extra illum necessitatis casum iniqua censerentur? Respondeo, id, quod per se iniquum est, in nullo necessitatis casu esse licitum: Deinde convitia & acerbitates non expugnandæ, sed potius fovendæ pertinaciæ apta esse media: & denique difficillimum esse, de pertinacia voluntatis in errante certum ferre judicium, fierique facile posse, ut pro pertinacibus habeamus, qui vel ex ignorantia atque intellectus imbecillitate,
vel

vel ex iudicii præcipitantia, vel ex præiudicio auctoritatis, vel ex defectu plenioris informationis debita cum moderatione ac mansuetudine institutæ, errant, cætera Veritatem non minus amantes & quærentes ac nos ipsi. Certe de paucissimis, saltem quamdiu sententiam nostram se per conscientiam amplecti non posse serio fatentur, suamque pertinaciam apertissimis non produnt indiciis, Caritas credere jubet, quod data opera errores defendant, ac contra conscientiam Veritati resistant. Hæc si ad animum semper revocarent, qui controversias Religionis tractant, dubium non est, quin mitius longe in plerisque cum adversariis essent acturi. Quando rationibus & argumentis Veritatem iis statim persuadere non possumus, ac legitima expugnandi erroris remedia non ex voto succedere deprehendimus, Scriptura sacra *patientiam & longanimitatem* nobis commendat; jubet hoc in casu, *ut toleremus malos, experturi, num aliquando Deus iis sit daturus respicientiam ad agnitionem Veritatis.*

Ultima tandem, quam cum superioribus conjunctam, atque in Theologo polemico conspicuam requiro, Virtus *Prudentia* est, quæ variis quæstionibus justum semper pretium ponere, singulorumque errorum momenta sedulo ponderare docet; ne scilicet ab altera parte de primariis ac momentosissimis Religionis capitibus ita disputemus, ac si de rebus nullius momenti controversia moveretur, aut nimio pæcis studio gravissimos quosvis errores, qui ipsum fidei fundamentum prorsus subruunt, supra omnem modum extenuantes, sententiarum *Indifferentismo* (sit venia verbo) portam aperiamus, aureamque Ve-

ritatem, quæ vita carior nobis esse debet, nostra ignavia pedibus conculcari patiamur; neque ab altera parte cum ipso salutis fundamento fœnum & stipulam confundamus, minimumque errorem mox in hæresium censum referamus, aut propter levem quendam dissensum Christianæ concordie vincula temere rumpamus.

Profecto in eo esse debet Theologus, cujus pectori sanioris Orthodoxie studium debitusque propagandæ fidei puritatis ardor insidet, ut severe ac summo studio illas exigat veritates, quæ sine salutis dispendio ac manifesto damnationis periculo non possunt non credi, ac dogmata Religionis fundamentalia adversus pravas opiniones maximo zelo adserat; quemadmodum itidem exitiales errores, qui doctrinam fidei prorsus perdunt atque corrumpunt, quovis legitimo modo confutare nolle, nimie non tantum imprudentiæ, sed & ignaviæ ac teporis Theologo indignissimi res foret. Sed circumspicte omnino hic procedendum est, diligentissimaque cautio adhibenda, ne dogmata religionis fundamentalia nostra auctoritate fingamus, eorumve numerum pro arbitrio nostro supra modum adaugeamus. Cavendum sedulo, ne quæstiones mere problematicas, aut quasvis nostrarum partium opiniones ac placita maxime communia mox inter veritates ad salutem creditu prorsus necessarias referamus; ne, accuratissimum in his omnibus consensum intemperanti nimis rigore exigentes, errores ac hæreses exitiales innocentibus adfricemus, eoque prætextu cœlo & ecclesia excludamus, quos ipse Deus tanquam filios suos complectitur, quosque ipse Christus pro genuinis corporis sui mystici mem-

membris agnoscit; imo cœlo & communionē
 Dei excludamus, qui beatorum numero dudum
 adscripti, forte de hodiernis controversiis, deque
 articulis, quorum fides tanta nunc sæpe severitate
 requiritur, parum vel nihil intellexerunt. Cogi-
 tandum serio, quanta sit temeritas, si nos ho-
 munculi tanquam creditu necessaria obtrudamus
 aliis, quæ ut talia, neque ipse Christus Domi-
 nus, neque ejus Spiritu ducti Apostoli a discipu-
 lis suis & Ecclesiæ membris postularunt, mini-
 mosque errores circa ea, quæ liberæ opinationi
 ipse Deus reliquit, fundamentales pronuntiemus.
 Recte & ad rem Cel. J. A. Turretinus in *Orat.*
de Theologo Veritatis & Pacis studioso: Enimvero qui-
 nam nos sumus, qui in Ecclesia leges feramus, quas
 ipse Christus non posuit? Quinam nos sumus, qui eas
 quæstiones ad fidei summam pertinere velimus, quas
 ad fidei summam pertinere Verbum Dei non pronun-
 tiat? Quinam nos sumus, qui ab iis rebus salutem
 æternam suspendamus, a quibus eam Christus non su-
 spendit? Quinam nos sumus, qui a Christi commu-
 nione arceamus, quos ab ea Christus non arcet? Non-
 ne unus est Doctor, nempe Christus? cujus præinde defi-
 nitionibus ac legibus ita standum est, ut, qui ab eo non
 determinata determinare audeat, legesque de iis sancire, ac
 propterea alios damnare, is, usurpati Christi Domini,
 & exercitata in fratres tyrannidis, notam effugere non
 possit. Quo quidem spectant eximia illa Apostoli nostræ
 effata, Tu quis es, qui alienum famulum condemnas?
 Is proprio Domino, aut stat, aut cadit. Postulat
 itaque Prudentia, ut rerum omnium momenta
 accurate ponderemus, res momentosas a minus
 momentosis probe discernamus, atque ad solam
 sanctioris Verbi normam, tanquam lydium lapi-
 dem,

dem, æqua sanioris iudicii lance subductisque bene rationibus expendamus, quodnam sit salutis & fidei fundamentum; quænam Veritates isti fundamento sint superstructæ cumque eo necessario connexæ, quænam vero solummodo tendant ad dogmatum fundamentalium illustrationem; quænam illud, vel vicinius, vel remotius, vel plane non tangant; atque adeo quænam fundamento superædificentur, num *aurum argentum & pretiosi lapides*; num vero *ligna, fenum & stipula*. Ad eandem normam ut, sepositis præiudiciis, errorum, quibus Veritas inpugnatur, momentum rite diiudicemus, eadem flagitat Prudentia. Qui hujus Prudentiæ leges exacte observare adnititur Theologus, non tantopere exardescit, quando esse deprehendit, qui a nonnullis suarum partium placitis recedunt, atque in rebus dubiis, ad fidei summam minime pertinentibus, neque a sana ratione, neque a Verbo Dei liquido decisus, a se dissentiant; sed tum potissimum zelum suum demonstrat, quando ipsa sanctissimæ nostræ Religionis fundamenta concuti, quando fidem omnibus veris Christianis communem labefactari, quando exitiales errores in Deum & Christum manifeste injurios veræque pietati aperte contrarios spargi ac propugnari intelligit. Neque tam acriter tantoque fervore pugnat de controversiis problematicis, aut Veritatibus levioris momenti, quæ, inviolata Religionis summa, negari, ac citra salutis jacturam ignorari possunt; sed in primariis Religionis capitibus, quibus negatis, & pietas, & vera ac viva fides animo expellatur necesse est, contra quosvis insultus vindicandis omnem operam atque industriam collocat. Hasce
Verita-

Veritates nunquam, neque ex timore hominum, neque ex prudentia carnali, ne famam perdat, ne male apud hostes Veritatis habeatur, reticendas, sed mascule & fortiter defendendas judicat, atque eo modo defendendas, ut animi dissentientium, perruptis præjudiciorum claustris, quantum licet, ad adsensum rapiantur; iisque e contra erroribus, quibus præstantissimæ hæ Veritates in discrimen adducuntur, quique perniciosam in Ecclesia confusionem pariunt, omni animi ardore occurrendum merito censet, atque ad illos extirpandos ac toto orbe exterminandos, ut omnes vere Christiani, quicquid habent virium, conjungant, serio optat. At vero in rebus minoris momenti hallucinationem errantibus esse condonandam, nec propter eos Ecclesiæ pacem violandam; in controversiis dubiis atque obscurioribus, ubi opiniones magna utrimque probabilitatis specie sese commendant, sed suis vicissim utrimque difficultatibus premuntur, eandem, quam sibi vindicat, modestam sentiendi prophetandique libertatem aliis concedendam, mutuamque inter dissentientes, quæ ex æquitatis ac caritatis Christianæ lege fluit, tolerantiam esse colendam prudenter statuit. Ista denique quæstiones, quæ vel in meras logomachias, argutiasve scholasticas abeunt, vel ad pietatem & Ecclesiæ ædificationem nihil faciunt, contra non nisi turbas & jurgia in Ecclesia serere apta sunt, vanas, inutiles, imo noxias judicat.

Quod si hæ cautelæ sollicite semper fuissent adhibitæ, ac juxta has prudentiæ regulas Religionis controversiæ fuissent tractatæ, Ecclesia absque dubio in quiete mansisset, neque tot incon-

fultarum litium funestarumque discordiarum procellis & olim & nunc agitata, atque in partes fere innumeras scissa fuisset. Sed quominus hisce malis & miseriis carere potuerit, effecit imprudens multorum zelus ac præposterus rigor. Fuerunt nempe omni Ecclesiæ tempore, nec desunt etiamnum, quibus Christianæ tolerantia nomen pene ignotum, imo tantum non invisum est, quique partium sectæque studio supra omnem modum dediti, ne vel minimum fere in rebus ad Religionem pertinentibus, sive majoris, sive minoris momenti, dissensum ferendum, nec pacem & Ecclesiæ communionem cum illis, qui a communi vulgo receptarum opinionum tramite vel tantillum recedunt, aut ineundam, aut colendam censent; quam animi sui sententiam, si non aperto ore proferant, praxi saltem sua ac disputandi methodo satis superque produnt. Dum enim pro suis, aut partium suarum placitis acrius pugnant, minutissimas sæpe de rebus nihili quaestiuunculas ita exaggerant, quasi in periculosissimo essent errore, qui in istis diversum a se sentiunt; suarumque opinionum de rebus sæpe dubiis atque in Ecclesia semper controversis momentum ita extollunt, ut hæreseos, aut saltem heterodoxia in Ecclesia non tolerandæ dicam iis scribere non vereantur, qui illis omnibus adsentiri nequeunt. Quod ut facilius obtineant, certa quædam dogmata, fidei fundamentum haudquaquam attingentia, systemati suo, quod aut ipsi concinnarunt, aut a Majoribus & Magistris suis acceperunt, ita innectere solent, tamque arcto nexu Veritatibus fundamentalibus illigare conantur, ut illa nec negari, nec labefactari posse, sibi aliisque

que persuadeant, quin totum systema reddatur mutilum atque hiulcum. Quod si ergo reperiantur, qui, licet modeste & non nisi Veritatis studio adacti, dogmata ista ad Verbi divini ac sanæ rationis normam expendere, varias, quibus premuntur, difficultates ingenue in medium proferre, suasque opiniones libere illis opponere sustineant, mox salutis compagem solvi, formamque sanorum verborum negligi vociferantur; mox Ecclesiam in periculo esse clamant, in quam prava ejusmodi dogmata invehantur, actum de sancta civitate, si exitiales ejusmodi errores in Ecclesia tolerentur, fidei puritatem modis omnibus servandam; jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat; jam parata convitiarum plaustra; jam erecta rigidissimæ inquisitionis tribunalia; jam dirarum atque anathematum in homines sæpe innocentissimos temere vibratorum nullus modus. Quæcunque proloquuntur moderatiores, quæcunque in contrarium scribunt, non attenduntur, quin potius in perversum rapiuntur sensum: Patres sunt sequendi, communis trames ineundus est; damnandi, Ecclesia ejiciendi, imo orco addicendi sunt, quicumque ab eo recedunt; adeo ut pauci reperiantur, qui mitiorem de illis sententiam pronuntiare audeant, nisi qui pectus habeant contra minaces zelotarum vultus triplici ære munitum. Hac ipsa ratione, quod profecto satis deplorari nequit, earundem partium Doctores atque Theologi non raro inter se committi deprehendentur, qui licet tam arctis inter se colligantur vinculis, licet tot nominibus ad *unitatem spiritus per vinculum pacis servandam* sint obstricti, licet *unus* ipsis sit *Dominus, una fides, unum bap-*

tisma, unus Deus & Pater omnium; qui est supra omnia, verbo, licet quod ad fidei summam eadem incedant regula, ac circa primaria omnia, de credendis & faciendis, Doctrinæ Christianæ capita accuratissime consentiant, sæpe tamen propter levem quendam de rebus minimis, imo de ipsis subinde vocibus ac terminis, non eodem utrimque sensu intellectis, dissensum, aut propter exiguam quendam opinionum de rebus arduis atque involutis, quæ in hac mortalitate definiri nequeunt, discrepantiam a se invicem discedunt, pacis ac fraternæ caritatis vincula rumpunt, convitiis omnis generis se mutuo discerpere, communibusque heterodoxiæ criminationibus infamare non erubescunt, atque intestinis dissidiis omnia replentes in propria viscera sæviunt, ad ingentem Piorum omnium luctum, ad manifestum infirmorum scandalum, adversariorum denique, hinc in nos insurgentium nosque per nos ipsos destruendum, ludibrium.

Fontes, ex quibus imprudens iste multorum zelus profluit, ubi perquiro, primum sese offert ignorantia, qua acti homines male sapientes quævis sæpe dogmata, quæ non intelligunt, quæ nunquam legerunt vel audiverunt, quæ novitatis duntaxat speciem habere ipsis videntur, quorumque rationes perspectas non habent, mox temerario ausu hæressum noxiorumque errorum catalogo inferunt. Isti nimirum homines non nisi certa quædam systemata a Præceptoribus, quorum sancta apud ipsos est auctoritas, tradita legerunt, quibus totam orthodoxiam comprehendendi existimant, quibus quicquid continetur, non observata inter capita Religionis fundamentalia,

talia, & ea, quæ non sunt ex fide, sed ex opi-
 nione probabili, distinctione, æque momento-
 sum, æque necessarium censent; dum e contra-
 rio omnia fere, quæ in iis non exstant, licet alias
 a Viris maximis præcipuisque Ecclesiæ Christianæ
 luminibus credita atque probata, tanquam peri-
 culosæ novitatis suspecta, tanquam heterodoxa
 atque analogiæ fidei contraria præcipiti mox ju-
 dicio damnant. Certe quo minus a scientia atque
 eruditione instructi sunt homines, eo ad condem-
 nandos alios ac tanquam hæreticos proscindendos
 esse promptiores, experientia abunde comprobat.
 Nec tamen omnes, qui in has prudentiæ leges
 peccant, eruditionis defectu laborare dixerim.
 Sunt & alii fontes, ex quibus istud disputandi ca-
 coëthes promanat; interque eos, ne plures me-
 morem, præcipuus superbia atque ambitio, so-
 lemne multorum proh pudor! Theologorum
 omni ætate, maxime ubi in præcipuo quodam
 munere ecclesiastico constituti sunt, vitium. Sci-
 licet qui ea sunt inflati ac turgidi, magnifice ad-
 modum de se suisque placitis sentire solent; Ve-
 ritatem omnem dudum a se possideri, nec ullas
 novas Veritates sibi haud perspectas in apricum
 produci, nec melius se informari posse, non sine
 insigni fastu sibi persuadent; ac, licet non erran-
 di prærogativam disertis verbis sibi haud arrogent,
 re ipsa tamen se falli difficulter credunt. Hinc
 fit, ut de omnibus, utut obscuris atque imper-
 viis, audacter pronuntient, nihilque adeo verean-
 tur, quam ne dubitare aliqua de re videantur,
 ac meliora docenti morem gerere dedecus sibi esse
 putent. Hinc fit, ut omnes in suam sententiam
 rapere, conscientiis hominum leges ponere, suas-

que opiniones tanquam credendorum regulam aliis obtrudere conentur. Hinc fit, ut dissentientes tolerare nequeant, atque, ubi sunt, qui in adversum eunt, libertatemque suam pro viribus tuentes, id quod sibi verum videtur, licet vulgo invisum, in publicum egregium effundunt, ad certamina mox provolent nullum habitura finem, quibus innocentissimæ sæpe Veritati erroris larva induitur, aut, ubi subinde ex humana inbecillitate erratum fuerit, omnia in pessimam partem rapiuntur, ut ex musca, quod dicunt, fiat elephas, ex quovis errore fingatur hæresis, atque ii saltem, quibuscum contendunt, orthodoxiæ gloria priventur.

Cæterum dies me deficeret A. A. si mala omnia, ex intemperanti isto rigore atque inconsulta disputandi methodo propullulantia, quibus & Ecclesia laceratur, & pietas violatur, & ipsa Veritas detrimentum capit, fusius recensere instituerem. Vident illa ac deplorant quivis cordatiores: Utinam & ipsi ea serio ad animum revocarent, qui imprudenti nimis zelo ducuntur! cautius sine dubio mercarentur. In Ecclesia certe inde nascuntur contentiones ac lites infinitæ, diffidia nunquam sopienda, odia hominum inmania, quibus se invicem insectantur, qui fraterno amore se mutuo complecti debebant, schismata horrenda, sectæ innumeræ, tyrannis in conscientias, & innumera ejusmodi mala. Et quanta porro hinc Christianismi oblivio, quantus veræ pietatis neglectus? Quis enim non videt, humilitatis, modestiæ, æquitatis, mansuetudinis, caritatis ac tolerantæ Christianæ leges sub superbo simul ac fallaci orthodoxiæ servandæ prætextu ab illis
vio-

violari, qui in famam Virorum sæpe insignium ob levem quendam in capitibus non necessariis dissensum iniquis heterodoxiæ criminationibus ac temerariis condemnationibus tanta audacia grassantur? Adde denique, ipsam Veritatem isto agendi modo haud exiguum capere detrimentum. Nullum profecto in Veritatis cognitione sperari potest incrementum, ubi hoc viget principium, id, quod Majores nostri decreverunt, quod Præceptores in necessariis doçuerunt, sine discrimine ratum fixumque esse debere; nullum ab his in Ecclesia dissensum esse tolerandum, ipsoque facto heterodoxum esse, qui a receptis placitis vel minimum discedit. Quid enim, qui hujusmodi principia fovent, inconsulto suo rigore agunt? Sublata, aut saltem arctissimis conclusa limitibus prophetandi libertate, investigandæ Veritati viam obstruunt; uberiori Veritatis illustrationi obicem ponunt; optima atque excultissima ingenia, ad Veritatem, quæ præjudiciis impeditur, quo minus erumpat, in lucem protrahendam nata, ne hæresios vel heterodoxiæ notam incurrant, ad silentium cogunt; aut saltem, si quæ in publicum proponant a vulgari tramite abeuntia, licet ad Ecclesiæ ædificationem Veritatisque propagationem tendant, impediunt, ne ista valeant atque adprobentur; sicque efficiunt, ut fructus, quos ex illorum laboribus capere posset Ecclesia, plane nulli sint. Desipere autem, si quid video, hoc est, ubi partium studio acti, & omnes Veritates a nobis possideri, & novam iis lucem accendi, nosque melius informari non posse existimemus. Sunt Veritates, quas futuro seculo revelandas æternitas sibi reservavit: Sunt aliæ, quas

quas clarius cum tempore explicare, quarumque ampliore illustratione hominum ingenia atque industriam exercere voluit Deus. Quod Patres non viderunt, vident liberi; a Præceptoribus non rite ponderata animadvertunt sæpe discipuli: ac proinde cavendum, ne laudabiles illorum conatus, qui indefesso ardore, modeste tamen ac sobrie Veritatem scrutantur, ac nova identidem luce illam perfundere adnituntur, nostra imprudentia ac zelo præpostero sufflaminantes, in ipsam Veritatem simus injurii, liberumque ejus cursum præpediamus.

Aliam ergo ac longe diversam agendi disputandique methodum suadet *Prudentia justorum*, exigat illa, *ut qui in Orthodoxiæ tutamine* (loquor cum Cel. Witzio) *rigidos se Veritatis satellites præstant, iidem studiose sibi ab iis rebus cavendum esse meminerint, quæ non licent Sacerdotibus pacis; ut in consensu animorum serio exsultent, eumque, quantum salva Veritate fieri potest, promoveant: ut in dissensu æquitatem suam ac modestiam Deo hominibusque probent cum lenitate sapiente: ut de se ipsis submisse, de Fratribus præclare sentiant, non adfectantes exquisitoris sapientiæ famam, sed dona Dei justo pretio in iis, qui sibi proximi sunt, æstimantes: ut nullius verba calumnientur, aut cavillando opiniones cuiquam imputent, a quibus se profitetur alienum: ut denique indignum hominis Theologi gravitate existiment, de verborum apicibus otiose atque odiose digladiari, ubi circa rem ipsam exigua ac fere nulla discrepantia est. Verba profecto magno simul ac pacifico Viro digna.*

Enimvero in eo esse debet Theologus, cui Ecclesiæ salus curæ cordique est, ut & Veritatem

tem & Pacem, tanquam firmissima ejus columina, in ea, quantum quidem in se est, servet integram atque illibatam. Ut autem neutra viole-
tur, prudenter & circumspecte agat, necesse est. Cum ergo nec necessariæ Veritatis dispendio Ecclesię pax sit redimenda, neque ab altera parte accuratissimus opinionum ac doctrinæ, etiam in levioribus, consensus per rei naturam ac diversa hominum ingenia in Ecclesia sperari queat, proximum est, ut in necessariis doctrinæ capitibus ac fundamentalibus Religionis Veritatibus exactissimam urgeat fidei unitatem; in non necessariis autem sentiendi libertatem concedat, modestique dissensus copiam illis faciat, qui circa fidei summam idem plane nobiscum sentiunt; neque propter illum dissensum fraternæ caritatis ac concordię vincula rumpat, atque Ecclesię Pacem turbet.

Hanc, nisi me omnia fallant, prudentiæ regulam ipse commendat sanctior Codex ac clarissime inculcat. Nam quemadmodum accurate satis distinguit inter ipsum fidei fundamentum, & ea, quæ fundamento superstruuntur, sive bona & utilia, sive vana & futilia; ita quoque ab altera parte, quod ad capita fidei fundamentalia, exigit, ut *eadem* heic *incedamus regula*, atque idem omnino sentientes, *concordes simus*; dum e contrario ejusmodi errores, quibus hæc capita subvertuntur, in Ecclesia non tolerandos, quin potius illos, qui circa ea errant, non tantum graviter increpandos, sed &, ubi nullis mediis ad sanio-rem mentem revocari se patiuntur, a communione nostra, ne eorum labe inficiamur, re-
mo-

movendos, pronuntiat. Huc pertinent varia Pauli Apostoli monita: *Ne in pari iugo copulemini cum infidelibus. Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, is turget, nihil sciens: secede ab illis, qui tales sunt. Hæreticum hominem, post unam atque alteram admonitionem, rejice. Precor vos fratres, ut observetis eos, qui dissidia & scandala præter doctrinam, quam vos didicistis, creant, & declinate ab iis.* At vero ab altera parte, quod ad capita non fundamentalia ac minus momentosa attinet, circa hæc modestiam sentiendi docendique libertatem unicuique concedendam, errores leves, salva manente Religionis summa, patienter ferendos, non obstante sententiarum discrepantia, animorum unitatem servandam, mutuamque inter diffidentes tolerantiam ac fraternam communionem esse colendam, non minus clare ac luculenter docet. Ita certe suo exemplo præivit ipse Christus Dominus, qui tot in Apostolis & Discipulis suis toleravit errores, donec uberiore Spiritus sui lumine intellectum eorum collustraret. Exemplum Domini secuti sunt Apostoli, qui, licet infallibili Spiritu ducti, dissentientes tamen in rebus non momentosis & ipsi tolerarunt, & tolerantiam ab aliis exerceri voluerunt. Sic *infirmos in fide*, id est minus recte sentientes patienter *tolerandos*, & eo non obstante, pro genuinis fratribus esse habendos, variis rationibus urget Paulus sub finem Epistolæ ad Romanos. Et quorsum, quæso, tot ejusdem Apostoli hortationes, *ad se mutuo tolerandum, cum omni mansuetudine & modestia, ad servandam spiritus unitatem per vinculum pacis, ad omnem amaritatem.*

ritudinem, iram, excandescantiam, clamorem ac maledicentiam deponendam, ad induenda viscera misericordiae, benignitatis, modestiae, mansuetudinis, lenitatis, ita ut alii alios tolerant, quorsum, inquam, hæc & similia loca, quibus refertæ sunt Epistolæ Paulinæ, nisi ad commendandam inter dissentientes circa capita non fundamentalia mutuam tolerantiam ac fraternam caritatem, tanquam promptissimum, ad componenda Christianorum diffidia pacemque Ecclesiæ farciendam, remedium? Et quorsum denique tot loca, quibus Christus & Apostoli a rixis, jurgiis, diffidiis ac schismatibus nos dehortantur, & contra Pacis studium nobis instillare adnituntur, nisi ad commendandam eandem, de qua loquimur, tolerantiam. Nam ad illibatam in Ecclesia pacem obtinendam, duæ solummodo, quantum videre possumus, dantur viæ, vel omnimodus circa omnia Doctrinæ capita, tam fundamentalia, quam non fundamentalia, consensus ac perfecta opinionum conformitas, vel tolerantia inter dissentientes, & erga leviter errantes exercenda. Prius, quemadmodum inde ab Ecclesiæ natalibus ad nostra usque tempora nunquam fuit visum, ita quoque revera impossibile est, & in hoc præsentis seculo sperari nequit, propter ingeniorum ac temperamentorum varietatem, propter intellectus humani imbecillitatem, propter educationis atque institutionis, donorum itidem a Deo acceptorum diversitatem, propter præjudiciorum, cum lacte velut materno inbibitorum, multitudinem, propter involutam plurimarum controversiarum perplexitatem, atque alias hujus generis rationes. Quare, ut beata in Ecclesia vigeat pax, ac funesta

nesta ex ea eliminantur dissidia, necessarium prorsus est, ut, qui circa primaria Christianismi capita consentiunt, in levioribus vero discrepant, illæsa animorum concordia, se mutuo tolerant.

Sunt & aliæ quædam specialiores *Prudentiæ* regulæ, quæ, si serio ad animum revocarentur a Theologis, atque ipsa praxi exprimerentur, haud dubie multum conferrent, ad exoptatam illam Ecclesiæ pacem promovendam, ad infastas animorum dissensiones componendas, ad controversiarum litiumque infructuosarum numerum minuendum, ac mutuam inter leviter dissidentes tolerantiam faciliorem reddendam. Si scilicet sedulo caverent, ne nimis argutiis, ne quæstionibus vanis, curiosis atque ad lites movendas comparatis, ne pravis superstitionibus veneranda Christianæ Religionis simplicitas oneretur, sed, missis & in exilium actis nullius momenti subtilitatibus tricisque Scholasticis, genuina fidei principia ea, qua fieri potest, perspicuitate hominum animis instillare, atque illam, quæ *secundum pietatem est, doctrinam* masculo instituo adserere adniterentur. Si deinde, humanæ imbecillitatis atque intellectus sui angustię memores, ea tanquam certa & indubia definire cessarent, quæ in hac mortalitate, ubi *ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus*, determinari nequeunt, quæque ut determinentur, inutile & forte noxium est: Si ea, qua par est, modestia circa profunda Religionis mysteria versarentur, atque arcana Dei, quæ nec in sacris Literis clare revelata, nec humano intellectui pervia sunt, nimia curiositate rimari, ac temerario ausu ad ingenii sui modulum componere desinerent. Nam ex intemperanti illorum
 auda-

audacia, qui in quævis myſteria vano involant impetu, ac turpe ſibi eſſe credunt, ſi aliquid neſcire videantur, plurimas eaſque acerrimas in Eccleſia contentiones ortum duxiſſe, notiſſima res eſt. Recte autem monet Apoſtolus: *Ne ſapiat quis, ſupra quam oportet ſapere; ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique diſtribuit Deus meſuram fidei.* Si porro controverſias ſcholasticas, ſuaſque, de rebus ſæpe intricatiſſimis, ſcholæ ideis ac diſtinctionibus proſus implicitis, vulgique captum longe ſuperantibus, opiniones a neceſſariis fidei capitibus probe identidem diſtinguerent, eaſque ad Religionis ſummam, quæ in fundamentalibus plana, facilis, ſimplex, a ſcholæ tricis ſalebrisque aliena & vel rudiffimorum hominum captui attemperata eſt, non pertinere oſtenderent: Si præterea, in tractandis his aliisque perplexis quæſtionibus, controverſa dogmata placide ſemper ac modeſte expendere, quodque Dei Virtutibus ac ſacris Oraculis maxime conveniens fuerit viſum, ſalvo aliorum iudicio, atque illæſa pace mutua eligerent: Si denique, qui in Scholis & Eccleſiis Doctorum munere funguntur, principia pia, pacifica, Chriſtianam caritatem, manſuetudinem, tolerantiam, modeſtiam, humilitatem ſpirantia, atque ad minuendas potius controverſias, quam eaſdem multiplicandas, comparata Auditoribus ſuis & ſermonibus & factis inſtillarent, ſummoque ſtudio inculcarent. Hæc atque alia huius generis conſilia, a Viris maximis, inter quos præcipue nomino duum viros egregios S. WERENFELSIUM, & J. A. TURRETTINUM, non ſine inſigni alibi locorum fructu, ſuppeditata prægnantibusque rationibus munita, ſi ad praxin revocarentur, via ad componenda

plurima diffidia, non adeo foret difficilis: Has si secuti fuerimus regulas, haud vana, ut auguror, spe præsumere liceret, fore, ut, conatibus nostris adspirante supremo Numine, desideratissimæ pacis ac concordiaë aurora & nostris tandem aliquando illucesceret oris.

Sed tempus est, ut ad ea me conferam, quæ officium hujusque diei solemnitas postulat. Ad Vos nimirum, VIRI PERILLVSTRES & GRAVISSIMI, Academiaë hujus CVRATORES ac MECAENATES OPTIMI, mea se convertit Oratio. Vobis me in solidum deberi, Vestrique juris me esse factum, si prædicem ac publice contester, nihil, quod a Veritate alienum, nihil, quod cum animi mei sententia non conjunctissimum est, prædico. Quem enim majore beneficiorum meritorumque cumulo Vobis obstrinxistis, inter nostri quidem ordinis homines nullus est. Vestris sub auspiciis studiis dicatus, (cujus Beneficii memoriam integram atque illibatam seruo) Vestro veluti in sinu eo sensim crevi, ut benigno Vestro de me meisque studiis judicio non indignum omnino censueritis, qui, licet juvenis admodum, ante hoc septennium ad spectabile Theologiam docendi munus in publica eruditorum Hominum luce gerendum admove-
rer. Cumque non ingratham prorsus Vobis fuisse meam qualemcunque in erudienda pube Academica operam, haud obscuris mihi constet indicis, Vestro potissimum favori Vestraëque commendationi acceptum refero, quod ILLVSTRISSIMI ac PRAEPOTENTES FRISIAE nostraë ORDINES Professoris ordinarii titulo ac munere, glorioso sane & amplo, in hoc Sapientiaë domicilio me condecorare voluerint. Hu-

Hujus tanti honoris, VIRI MAGNIFICI, tantorumque Vestrorum de me meritorum nulla dies, nulla ætas unquam apud animum meum oblitterabit memoriam : Et, quod nunc unice possum, coram splendidissima hac Corona, cum integra plenissimæ observantiæ fide ac pietate, quantas capere mens mea maximas potest, gratias Vobis ago habeoque. Et quamvis tenuitatis meæ probe mihi sim conscius, ad hoc tamen eniti summa opum vi conabor, ut tanto munere, & tam prolixa Vestra Benignitate haud penitus videri queam indignus.

Juxta lineas, quas duxi, spartam, quam nactus sum, ornare, si vota secundet Benignissimum Numen, firma stat sententia. Istam docendi disputandique rationem Vobis unice probari, qui purioris Religionis Adsertores, qui æqui, justi, omnisque virtutis Vindices acerrimi, qui modestæ libertatis estis Patroni, confido quam certissime. Faxit Deus, ut, si non aliter, diligentia saltem atque assiduitate mea, cum in magnis etiam voluisse sufficiat, Favoris ac propitiæ Vestræ erga me Voluntatis continuationem proliciam. Vestra sub umbra ac Patrocinio, MECAENATES DESIDERATISSIMI, si tuto conquiescere, Vestra sub tutela si latitare mihi liceat, vanosque livoris contemnere ausus, votorum meorum, post Dei gratiam, apicem obtinuisse mihi videbor.

Quod superest, divinæ Majestatis Numen votivis precibus venerari non desinam, ut vos diu inter Mortales superesse ac commodo publico valere jubeat; quo, quod, Bonis omnibus adplaudentibus, huc usque fecistis, rem Patriæ,

Ecclesiæ , atque hujus cum maxime Academiæ Vestra porro Auctoritate, Prudentia & Consiliis egregie juvetis, foveatis, promoveatis.

Ad Vos me converto, quarumvis Facultatum ac Scientiarum *Professores Celeberrimi*, orbis literati Lumina clarissima: Arctiore Collegii necessitudine Vobiscum conjungi, qui tot tantisque in hanc Musarum sedem meritis excellitis, laudi duco atque honori. Reconditæ Vestræ eruditionis aliarumque, quibus ornati estis, dotium veneratio Vestram mihi consuetudinem, qua jam plurium annorum serie illibata frui licuit, facit desideratissimam. Pergite, quæso, Collegæ Honoratissimi, eadem, qua me hactenus excepistis, benevolentia complecti, & a me vicissim, cui pace & amicitia vobiscum integra atque infucata nihil prius, nihilque antiquius, omnia officii ac observantiæ munera expectate. Vos ætate, donis, eruditione majores venerabor ac suspiciam: Vestra vestigia, de longinquo quidem, sedulo tamen, exprimere conabor: Consiliis Vestris lubenter aures præbebo: Facilem denique in omnibus ac candidum me exhibeo.

Isto nomine me Vobis cum primis commendatum volo, quibuscum arctiore vinculo me conjungit ejusdem Scientiæ Professio, *Venerandi Theologiæ Professores*. Amor inter nos regnet, Viri Fratres, mutuaque Charitas. Quod si circa fundamentum & rei summam consentientes, in rebus levioris momenti eadem omnes sentire nequeamus, quemadmodum id in tanta ingeniorum varietate, controversiarum perplexitate, ac humanarum mentium caligine sperare non licet, levem dissensum, salva pace, toleran-

lerandum esse, serio recordemur; atque in id operam demus, ut illam opinionum discrepantiam unitas spiritus regat: Sic Concordiæ exemplum præbebimus contentiosis illis Theologis, qui præpostero quodam zelo, dicam potius, furore acti, quavis data occasione nil nisi Martem & bella crepant. Is ergo si Vobis sit animus, hujus instituti si me comitem ac socium admittere velitis, en dextra fidesque.

Hanc vero diu multumque exoptatam mihi occasionem, animum summæ venerationis plenum beneficiorumque non inmemorem publice tibi testificandi, **CELEBERRIME** mihi que **AMICISSIME VENEMA**, quo minus prætermittam, & pietas facit, & officium. Quantum enim tibi debeam, norunt omnes, qui rerum nostrarum gnari sunt; meritoque ingratiſſimus omnium haberi possem, nisi eo nomine tabellam grati animi obsidem publice, quod nunc facio, Nomini tuo suspenderem. Singula autem illa ac profecto maxima tua de me merita ut recenseam, & mea, & tua non permittit verecundia. Pudori ac Modestiae tuæ nimium quoque gravis forem, si virtutes tuas eximias, si ingens illud, quo pectus tuum accensum est, de egregio publico bene merendi desiderium, si late diffusam tuam eruditionem, ad Nominis tui, & hujus cum maxime Lycaei celebritatem, ringente licet atque indignante invidia, indes accrescentem, deprædicare instituerem. Id unum vero absque verecundiæ tuæ offensione dicere liceat, inpenſe me gaudere, summique beneficii loco reputare, quod tuo subductu, tuaque, quam in me formando insumſisti, opera moderatiora in Theologicis studia secta-

ri, quod Euangelicam prophetandi libertatem, cum profana, quidvis in publicum profitendi, licentia, quam tecum ex animo detestor, non sane confundendam, suo pretio æstumare, quod denique, posthabito humanæ auctoritatis præjudicio, (præfiscine dixerim) ex purissimo Verbi divini fonte Veritates salutares haurire didicerim. Quod reliquum est, ita de me habeto, Exoptatissime Collega, ea me observantia te veneratum in posterum, quo tu me amore prosequi, tuoque consilio in arduo suscepti muneris exercitio sublevare perrexeris.

Tandem & Vos mihi compellandi estis, *Florentissimi Juvenes*; Vos præsertim devota Deo pectora. Vos cura nostra nostræque deliciae fuistis jam, & eritis in posterum. Quod si eandem, quam hactenus mihi probastis, diligentiam præstetis, habeo abunde, quod mihi de Vobis gratuler; nihilque prius, antiquius nihil habebo, quam Vestris invigilare commodis. Nisi Vos discendi ardor, me certe non destituet docendi labor. Me ergo comite ac socio in cœlestis Sapientiæ cultum strenue incumbite. Insideat pectori Vestro studium Orthodoxiæ ardentissimum; sed veræ & masculæ Orthodoxiæ, quæ non in verborum tricis ac subtilitatibus scholasticis, non in præjudicatis opinionibus placitisque tantum communibus consistit, qui summus vocis egregiæ abusus est, sed in sincero divinæ Veritatis, quæ secundum pietatem est, amore, sed in divinarum Virtutum effigie animis insculpenda, atque exprimenda moribus, sita est. Hanc per Dei gratiam sectemini sedulo: sic Vobis ipsis ornamento in omne ævum perennaturo, sic ædifican-

ficandæ Ecclesiæ apta in manu Dei eritis instrū-
menta.

Tu vero, Clementissime Deus, Spiritus Tui Lumine, sine quo ad spiritualia & cœlestia plane cæcutimus, illabere mentibus nostris. Tu Spiritu Veritatis in omnem nos ducas Veritatem. Tu sanctifices nos in Veritate, Verbum tuum est Veritas; ut non solum in cognitione, verum etiam in fide, pietate, sanctitate proficiamus: donec ex his ignorantiae, vitiorum ac diffidorum claustris, in æternum illud Veritatis, Sanctitatis ac Pacis domicilium introducatur. Tibi Triuni Deo sit laus, & honos & gloria in sempiterna secula.

D I X I.

